Nec uerentur cuiusquam inimicitiarum molestias. sed oppressores
pauperum palam arguunt. increpant. excommunicant. minusq·
metuunt eorum nocendi insidias. & iam si nocere ualeant. pastor
enim bonus animam suam ponit pro ouibus suis. sicut peruigilias pas
tor contra bestias oues custodire solet. ita dei sacerdos super gregem
sollicitus esse debet. Ne inimicus uastet. ne persecutor infestet ne
potentioris cuiusque cupiditas. uitam pauperum inquietet. sed
sua potius sollicitudine & cura diligenti. uitam & salutem merean
tur aeternam. largiente dno nro ihu xpo cui sit honor & gloria
potestas & imperium per omnia secula seculorum amen.

## IN LETANIA MAIORE. LEC EP B IACOBI APOSTOLI.

KMI. confitemini alterutrum peccata uestra. & orate pro inuicem ut
saluemini. & reliqua. OMELIA LECTIONIS EIUSDEM

Adoptiuum salutis nostrae remedium. hortatur nos apostolus iacobi
ut in praesenti lectione cum legeretur audistis dilectissimi nobis.
5. Confitemini inquid alterutrum peccata uestra. Non quod ds
indigeat confessione nostra. cui omnia praesto sunt quae cogita
mus. loquimur aut agamus. sed nos aliter salui esse non possu
mus. nisi confiteamur penitentes quod inique gessimus delin
quentes. nam qui seipsum acusat in peccatis suis. hunc diabolus
non habet iterum accusare in die iudicii. Debet tamen peni
tens diluit penitendo quae fecit. & non iterum renouare quod fle
uit. qui autem abscondi scelera sua non dirigetur. qui autem con
fessus fuerit & reliquerit ea. a do misericordiae ueniam merebitur
sempiternam. & orate pro inuicem ut saluemini. Duo sunt enim
genera infirmitatis humane. id est corporis & animae. proin
de enim monet. apostolus orare dm omnipotentem. pro utraq·
infirmitate nostra. pro inuicem diuinamque clementiam re
medium. postulare. ut & corpus in suo sco seruitio corroboret.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc427/0137